


QK. 533, 1.



NUM
RHETORICA SIT GENUS ΚΟΛΑΚΕΙΑΣ
AD PLATONIS GORGIA
DISQUIRIT
PATRONOS ET FAUTORES
AD
ACTUM VALEDICTORIUM
IN
SCHOLA SENATORIA
NOVAE VRBIS AD DRESDAM
DIE TRICESIMO MAII
AB HORA SECUNDA POMERIDIANA
HABENDUM
REUERENTISSIME ET OFFICIOSISSIME
INUITATUS
M. GOTTHELFF EHRENFRIED BECKERUS
RECTOR.

FRIDRICOSTADII AD DRESDAM
EX TYPOGRAPHEO HAGENMÜLLERI



ALBATORIAS ADONIDIS
HAGENIA DA GENEVANICA
HABITUS QUITA ET CIC
ALBATORIAS ALBATORIAS
COPPER



Negari, profecto, nequit, rem omn'um difficillimam
esse, grauiter, ornate, enucleate, cum apto rebus
prolati corporis vocisque habitu, dicere. Idcirco
Cicero jure suo pronuntiat, (*) peritissimorum artium
reliquarum sat multos; oratorum, contra, nonnisi exiguum omni tem-
pore exstisse numerum. Neque vero insignis hujus paucitatis causa
quaerenda est in contemtu, quo is laboret, qui in oratoria arte est Rosci-
us. Quum certe, nihil magnificentius; nihil ad popularem auram aucu-
pandam accommodatius; nihil ad auctoritatem inter doctiores etiam si-
bi conciliandam aptius sit, quam nolentes etiam & saepius repugnantes,
oratione ad persuadendum apta, primum delinire; deinde impellere
& suas abstrahere ac prorsus rapere in partes. Nec etiam praemiis
quam maximis is vacat, qui multum hac facultate pollet. Quis enim
nescit,

A 2

(*) De Orat. I. I. p. 74. sequ. editionis Schrevelianae.

nescit, in liberis rebus publicis ferme omnem imperii vim in manibus eloquentissimorum fuisse? Neque vero quisquam existimet, in iis ciuitatibus, in quibus omnia ad vnius nutum adcommodanda sunt, omnibus destitutam praemiis eloquentiam. Quamquam enim res oppido manifesta est, ea tanta, quanta in liberis rebus publicis, neutrquam esse: attamen etiam ibi sat ampla sunt. Quomodo enim ii, qui principi a consiliis; a legationibus; a litibus ciuium judicandis sunt; vt eos maxima grauitatis viros silentio inuoluam, qui flectendis ad religiones, sanctissime castissimeque colendas, mentibus praeſunt, quomodo ii omnes, si suis partibus pro dignitate fungi volunt, arte carere possunt, quae, sapienter cogitata, aperte, dilucideque & cum grauitate eloqui docet? Et nonne, proinde, videmus, eos, qui multum in hac facultate proſecerunt, saepius ex humilitate ad altissimum honorum fastigium emersisse? Quod si igitur eloquentia ad gratiam hominum colligendam peridonea est; si praemis maſtatur amplissimis; si honoribus digna censetur maximis; & nihilominus rarissime hominibus inest: ejus, profeſto, ingens difficultas cauſa hujus infrequentiae ſola existimanda eſt. At, dicet quispiam, quam tu nobis praedicas difficultatem, quum, certe, loquacium hominum omnia ſunt plena? Sed alia eſt loquentia; alia eloquentia. (*) Valet enim hic dictum Antonii, oratoris ante Ciceronem diſertissimi, & prope eloquentis, qui in quodam aſte de oratoria arte scripto libro, diſertos ſe vidiffe, ait, multos; eloquentem neminem. (**) Quantae enim non eſt difficultatis, de qualibet re, ad dicendum proposita, congrue, eleganter, neruose eloqui? Sed quis nescit, rhetorices materiam res eſſe vniuersas, nulla prorsus excepta? (†) Quanta ergo rerum pluri-

ma-

(*) Plin. l. V. ep. XX. §. 5.

(**) Cic. l. I. de Orat. p. m. 80.

marum cognitio ei insit necesse est, qui veri oratoris profiteri nomen
cupit! Absit, ergo, longissime, ut eum vere eloquentem fore judi-
cemos, qui primoribus, ut ajunt, labris vnam quandam, ex cuius
professione victimum sibi parare anquirit, scientiam attigit, & in ea co-
lenda satis oscitanter versatur. Vniuersus disciplinarum orbis, quem
ἐγκυροπαιδίαν dicunt, animo peragrandus est. Cognoscenda in pri-
mis omnium aetatum, nationum historia, ut inde, velut ex arma-
mentario, deppromantur omnis generis exempla. Nam ita est, homi-
nes magis exemplis, quam praeceptis reguntur; & consequenter eti-
am nihil majorem orationi conciliabit fidem; &, ut verissima cre-
dantur, quae proferentur, efficiet, quam exemplorum cum selectu
quodam institutus usus. (**). Mos, disciplina, instituta pernoscenda,
quae inter homines istos vigent, ad quos plurima nostra oratio fit.
Nam eorum intelligentia viam nobis monstrat, quae terenda est, ad
animos hominum capiendos permouendosque. Nihil adhuc dixi,
de adcurata linguae ejus cognitione, in qua verba oratori fiunt. Nam,
qui ejus adprime non est sciens, longissime ab eloquentiae laude
aberit. Quid dicam de poëtarum lectione? Omnes, profecto, elo-
quentiae laudem adepti, poëseos fuerunt amantissimi. Nihil enim
ad ingenii vim amplificandam plus prodest, quam sedula poëtarum
tractatio. Quis autem ad credendum inducat animum, oratori pa-

A 3

rum

(*) Fab. Quintilianus I. II. Instit. Oratoriarum c. XXII.

(**) Scio equidem sermonibus tritum illud: exempla & similia non probant
sed illustrant. Sed alia est fides, quam parunt Geometricae i. e. subtiliter &
vere excogitatae demonstrationes; alia est quae ex probabilibus, seu persua-
dendo aptis argumentis fluit. *Socrates* apud *Platonem* in *Gorgia* fol. 454.
editionis *Henrici Stephani* Βόλει Σν, inquit, δύο εἴδη θῶμεν πε-
δάς, τὸ μὲν, πίσιν παρεχόμενον ἀνέν 78 εἰδένας, τὸ δ', ἐπιείμην;

rum ingenii ad artem suam exercendam sufficere; quum tria praecipue efficere debeat, vt doceat, quod est magnae scientiae; vt delectet, cui rei efficienda solum ingenium par est; vt denique moueat, quod perfectae est artis. Sed plurimi legentium mirabuntur, me vnam maximarum scientiarum, quae fons omnium artium & origo jure existimatur, philosophiam videlicet silentio praeteriisse. Cujus sane adcurata cognitione non leuiter tinctus, sed prorsus imbutus esse orator debet. Quum enim ejus est acute cogitare, apte disponere, dilucide atque eleganter & cum quadam animos flectendi eloqui; vnde, quaeso, alias haec triplex facultas, nisi ex limpidissimis philosophiae fontibus, hauriri potest? Philosophia enim luce quadam perfundit humanam mentem, eamque aptam & idoneam reddit ad res indagandas inuestigandasque: haec recludit nobis fontes, vnde omnis cognitio fluit: haec tribuere res in partes, obscuras illustrare, difficiles enodare, ambiguas distinguere, abstrusas eruere docet. Quum etiam ad fidem orationi faciendam multum interest, qua sit virtute is, qui loquatur; qua vitae honestate; qua meritorum amplitudine; qua sapientiae laude; nam improbo, spurco, desidi & ignauo, vecordi, fides etiam saepius tunc derogatur, quoni vera proloquitur: nonne in oculis ferenda est illa scientia, quae honesti vim declarat; quae vitiorum turpitudinem clarissime ante oculos proponit; quae salutaria nobis suggerit praecepta, quibus obsecuti compescere animum, libidinem refraenare, cupiditatem edomare, actionesque nostras ad grauitatem, ad vitae dignitatem, ad sapientiam adcommode possumus. Quedsi, itaque, nulla alia foret caussa, ob quam philosophiae studium oratori necessarium foret, nisi, quod inde vir bonus euadere posset: tamen ista sufficeret ad diligentiam acuendam

&

& ad nihil studii, operae, laboris in philosophiae cognitione ponendi, praetermittendum. Et quem fugit, oratori multam instituendam orationem de honesto & turpi; de utili & noxio; de virtutibus & vitiis? Si vero hospes in philosophia versatur: nonne ejus cogitatio de iis rebus, & prolata de iisdem oratio erit fluxa, vaga, minus sibi constans, saepissime a vero aberrans? Et, quum maxima vis oratoris in pertractandis, & quocunque fuit libitum, mouendis hominum animis conspiciatur: vnde haec summa ars alias peti potest, nisi ex philosophorum scholis? Philosophiae enim est, intimos mentium humanarum recessus perreptare; haec caussas animi commotio-
num explanat; haec cujusque earum generis veram & adcuratam nobis impertitur cognitionem; haec modum & rationem designat, qua vel excitari, vel sedari possint. Nihil adhuc de voce ad orationem scite temperanda; nihil de motu & gestu corporis, qui itidem rebus prolatis adprime conuenire debet, dixi: quae vtraque facultas uno *actionis* nomine designatur. Quam omnium esse difficillimam vel exinde cognosci potest, quod, princeps omnium oratorum, & quasi quidam deus, Demosthenes ei primas, secundas, tertias in eloquentia attribuit. Clarissime itaque, credo, liquet: veram eloquentiam rem maximaee esse difficultatis; nec, itaque, secula orato-
ribus genuinis & veris adeo sterilia, mirandum.

Sed omni tempore nonnulli fuerunt, &, quoad homines futuri sunt, erunt, qui sedulo curant, non, vt sibi insit, quod profiteantur; sed vt inesse videatur. Vere ex grege histriorum sunt, qui simulant personam, quam neque natura; neque fortuna; neque consuetudo ipsis imposuit. Quid mirum, ergo, quod etiam quidam fuerunt,
qui

qui inanem quandam eloquentiae laruam sibi induerunt. Praeter alios autem ex hoc censu fuerunt Sophistici in Graecia oratores, homines, neque ingeniorum sagacitate atque acie, neque recti studio, commendabiles, quorum chorum duxit Gorgias Leontinus. Iste, in componendis scite & coagmentandis verbis toti, non id agebant, ut orationem suam clarissimis sapientissimarum sententiarum luminibus illustrarent; ut adsensum grauissimorum veritate & fide argumentorum extorquerent: sed eo omnes deceptricis eloquentiae suae vires intendebant, ut, caligine auditoribus, inani voluptate captis, offusa, stultitiam suam persuaderent. Inde enata est Thrasonica illa gloriatio, qua, se de quacunque materia, in utramque partem, cum gratia audientium, dicturos, stolidi jaclabant. Insuper eloquentia, ad libidines explendas; ad effugium, si ipsi fortasse judiciorum laqueis irretiti tenerentur, quaerendum; ad alios, minus fontes, sed ipsis inimicos, opprimendos; ad miscenda omnia; perfringendas leges; jura violanda; instituta mutanda, turpissime abutebantur. Quanta haec eorum fuit vanitas, qua de iis rebus, quarum cognitio ipsis fugeret, apud earundem rerum rudes, multo commodius, disertius copiosiusque, illo ipso, qui eas adcurate perceptas teneat, dicere se posse, praedicabant?

Quae cum ita sint: *Socrati* vel *Platoni* potius, qui sub illius persona latet, minus verti vitio potest, quod Sophisticos ejusmodi fastiduerit oratores; &, Satirico sale persicatos, publico ludibrio, in dialogo, qui *Gorgias* inscribitur, exposuerit. Verum, quod omnes Satirarum scriptores faciunt, ut, quando hos, vel illos facultate quadam, per se bona ac utili, abuti vident, ad paucorum vesaniam.

notandam, de tota illa arte, ex *εἰρωνείᾳ* legibus, male loquantur: sic eundem etiam, in carpenda perstringendaque *Gorgiae* schola, morem seruauit *Plato*. Nam *Socratem* loquentem inducit, qui omnem cauillatur rhetorica; & eam, tanquam rem pestiferam & noxiā, proponit. Enimvero haud vana mihi suspicio est: *Platonem*, philosophiae studiis vnice delectatum, in reprehendenda oratoria arte humani aliquid passum fuisse. Ut id suspicer, adducor: quod *Socrates*, cuius sub persona *Plato* delitescit, in ipso illo dialogo, de quo omnis nobis sermo est, istud partium studium haud obscure indicat; quum, quemque hominum, ait, studio aliquo teneri; & res quasdam spernere; quasdam magni facere; prout ei conueniant, nec ne: se amore *Alcibiadis*, *Climiae* filii, aequē atque Philosophiae captum esse; &, ex vtriusque, proinde, arbitrio, sententiam suam ferre. (*) Praeterea *Plato* modo de altera parte orationis, quae est contentionis, loquitur, (**) &, proinde, in eos duntaxat inuehitur, qui δημάγωγοι dicebantur; & ad populum verba faciebant. In liberis rebus publicis & in primis Athenis penes hos homines maxima fuit vis & potestas. Sed, quum in plurimos ciues suos tyrannidem quamdam exercerent, ipsi vniuerso populo seruitutem seruiebant turpissimam; simulque exemplo erant, fidem ferme semper iis abrogandam, qui magna verborum pompa, candorem sinceritatemque suam, & veri

B

bo-

(*) fol. 48r.

(**) Cic. de offic. I. I. magna vis orationis est, eaque duplex: altera contentionis; altera sermonis. Contencio disceptationibus tribuatur judiciorum, concionum, senatus. Sermo in circulis, disputationibus, congreSSIONibus familiarium versetur; persequatur etiam conuiua. Contentio praecetta rhetorum sunt multa; nulla sermonis; quamquam haud scio, an haec quoque possint esse.

bonique studium nobis inculcant. Nam ne minima quidem harum virtutum dicendo & agendo revera testificandarum plurimis horum δημαρχων inerat cura. Omnis potius eorum labor in eo vertebar, vt vias inuestigarent, inuestigatasque tererent, quae ad conciliandas sibi suorum ciuium mentes patebant. Omni, proinde, animorum impetu in ea duntaxat cogitatione curaque versabantur, vt odorarentur quam sagacissime possent: quid sui ciues sentirent; quid existimarent; quid vellent; quo deduci oratio facillime posse videtur. Nam si hamis suis non eam imponebant escam, quam sciebant, adipituros pisciculos, sine spe praedae nequicquam morabantur in scopulis. Omnem igitur orationem multitudinis auribus accommodabant: ad oblectandos animos; ad impellendos; ad ea probanda, quae non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinarentur. Anne, idcirco, mirandum est, quod philosophis, quibus vnicum est studium veri exquirendi & optimi suadendi, ejusmodi viscata hamataque eloquentia, vnde non poterant, non maxima damna, omnem reipublicae statum euertentia, oriri, maxime disperceret? *Plato* igitur, praeter studium, quo ad philosophiam incendebat; & quod faciebat, vt omnia reliqua studia ei forderent, videatur etiam justam habuisse caussam, cur rhetoricae sui temporis suggestaret.

Sed, age, jam cauillationem illam artis oratoriae videamus. *Socrates* oratoriam neutquam inter artes esse numerandam contendit: artem enim, vi & natura rerum, quas tractet, penitus perspecta, quicquid agat, ex ratione justa & nunquam fallente ad veram hominum salutem (quod *Socrates* adpellat βελτιστον optimum) procurandam age-

re;

re; atqui oratorem de iis rebus, quas ignoret, ad eos, qui earumdem sint rudes, loqui; neque perpetua & semper sibi constante impelli caussa, cur haec nec alia proferat: quippe mox in alia oratione, id verum esse, contendere, quod in alia falsitatis conuicerit; tandem oratoriam non salutis hominum, sed voluptatis aurium quaerendae gratia, quicquid proferat, proferre. (*) Sed, si dicendum, quod res est, haec quidem λογομαχία est; & maximus ille Plato ipse suo exemplo comprobare nobis videtur dictum Ciceronis: verbi controversia torquet Graeculos homines, contentionis cupidiores, quam veritatis. (**) Sed largiamur id Socrati vel Platoni, oratoriam nullam esse artem; quam ergo rem eam esse concedit? Dicit ἐναὶ τι ἐπιτήδευμα, τεχνικὸν μὲν οὐ, Φυχῆς δὲ σοχεσμῆς καὶ ἀνθεῖας καὶ Φύσει δενῆς προσομιλεῖν τοῖς ἀνθρώποις. studium quoddam, artis quidem expers, hominis tamen sagaci quadam & acri mente, & ingenio ad colendas hominum societas idoneo & sollerti praediti, proprium. Sed, quum hoc in vniuersum modo hominem describat, qui ad oratoriam aptus adcommoda-tusque sit: exquiramus ex Platone vltterius, cui rei efficiendae hoc studium operam det? Respondet, esse ἐμπειρίαν Τινὰ χάριτός Τίνος καὶ ἡδονῆς ἀπεργασίας, peritiam (non doctrina & institutione sed experientia partam) gratiae captandae & mouendae voluptatis; hoc esse genus (κεφάλαιον), cuius pars sit rhetorica; sed, quum nemo non nout, eum, qui, experiendo, peritus factus est aucupandae gratiae & excitandae voluptatis, esse κόλακος adulatorem: effici inde, oratoriam es-

B 2

se

(*) Qui de tota illa re vberiorem explanationem desiderat: euoluat Quinctiliandum, qui satis copiose, &, pro more suo, acute & sollerter ostendit, jure merito locum oratoriae inter artes deberi. v. I. II. c. XVII. edit. Burmannianæ vel c. XVIII. edit. Colonensis.

(**) de Orat. I. I. p. 77. a.

se partem πολακείας; atqui omnem πολακείαν non esse rem veram, sed εἴδωλον quoddam, seu simulacrum & imaginem deceptricem rei vere & salutaris; ergo par esse, vt ars illa vera & salutaris, quam oratoria simulet, inuestigetur. Ut id faciat, rem paullo altius repetit. Dicit, hominem constare ex corpore & animo; & ad vtrumque excolendum exigi artes certas & virtutes. Ad percipiendam vero rectius *Platonis* sententiam, monendum mihi esse videtur: eum id tantummodo propositi habere, vt fingat ciuem rei publicae liberae, qualis ciuitas Atheniensis fuit. Ad excolendum, ergo, animalium, putat, requiri νομοθετικὴν seu perscientiam legum salutarium; & δικαιοσύνην seu vitam ad salutares has leges conformatam; vtramque hanc vim & facultatem uno πολιτικὸν seu artis ciuilis nomine contineri; perficiendum vero ad corpus itidem duas artes necessarias esse, quae vero vtriusque communii nomine careant: γυμνασικὴν, quae mouendis armis, currendo, equitando, saltando, luctando, jactando disco, aliisque ejusmodi exercitationibus corpus aptum habileque reddit, & ἰατρικὴν medicinam, quae non solum modum corporis a morbis defendendi praeſcribit, sed ipsis etiam aegrotationibus, si quae fortasse corpus tentauerunt, efficacissimorum remediorum vi medelam adſert praeſentissimam; has quatuor virtutes, quod singulae ad hominem perficiendum pertineant, cognatione quidem aliqua inter se contineri, & aliqua ex parte sibi esse similes; interim tamen insigne etiam inter easdem intercedere discriminem, quippe alia alii rei efficiendae inseruiat. Similitudinem, qua semet in vicem tangunt, sic ostendit, vt adſirmet, νομοθετικὴν in animo illud idem efficere, quod γυμνασικὴ in corpore; & parem rationem esse cum δικαιοσύνῃ & ἰατρικῇ. Ut rem adhuc clarius demonſtret, propo-

tionem quandam Geometricam, ait, inter ipsas deprehendi, ita, ut quemadmodum νομοθετικὴ ad γυμναστικὴν; ita δικαιοσύνη ad ἴατρικὴν sese habeat. (*) Omnes autem & singulae, quod τὸ βέλτιστον unice sequuntur, veram θεραπείαν (*cultum*) corporis aequa atque animi efficiunt; & propterea recte & jure artes vocari possunt. Nam Socrates artem seu τέχνην ita definit, ut sit πραγματεία siue παρασκευὴ μετὰ λόγων, προμήθειαν ἔχοσσι τὸ βέλτιστον, χρήσιμος εἰς βίον, φίσιν καὶ αἵτιας τῶν ὄντων γιγνώσκοντα; facilitas in agendo, rationi conueniens, optimi prouida, vitae utilis, causarum & naturae rerum gnara. Sed praeter hunc sanum & rectum corporis animique habitum (*euēξιαν*), qui has quatuor artes sequitur: datur etiam ejusmodi vtriusque habitudo, quae videtur bona, neque tamen est. Haec ortum suum accipit a κολακείᾳ, quae est praepostera & simulata corporis & animi θεραπείας (*cultus*); neque τέχνας (*artes*) in se continet, sed εμπειρίας. Εμπειρίαν seu τεχνὴν Socrates definit, quod sit παρασκευὴ seu πραγματεία ἀλεγύει τε καὶ ἀτεχνος, συχαζομένη τὸ ήδυ ἀνέν τε βέλτιστον, μνήμη σωζομένη τὸ εἰδότος γιγνεδοκεῖ, facilitas in agendo, rationis & artis expers; venans id, quod dulce est, absque optimo; a recordatione eorum, quae fieri adsolent, orta. Quemadmodum autem vera θεραπεία ex quatuor virtutibus exsistit: sic itidem κολακείᾳ quatuor εμπειρίας, vana harum virtutum simulacula, & personatas species in se continet. Videlicet η̄ σοφιστικὴ induit sibi laruum τῆς νομοθετικῆς, ejusque personam ludit; η̄ ἐητορικὴ, inimica quidem δικαιοσύνη, falsam tamen ejus speciem emen-

B 3

ti-

(*) Vel, ut ex Mathematicorum more rem menti subjiciamus, nominemus νομοθετικὴν A. δικαιοσύνην B. γυμναστικὴν C. ἴατρικὴν D. Erat ergo

$$A : C = B : D.$$

titur; τὴν γυμνάσιον simulat κόμμωτική, quae in fuso & pigmentis corpori illinendis tota est; tandem formam τῆς λατρευτῆς adfingit sibi ἡ ὀψοποιητική culinaria, quae cibis, palato gratis & dulcibus, praeparandis, coquendisque omnem suam operam consumit. Quae vero similitudo & quasi proportio Geometrica fuit inter virtutes: eadem etiam est inter larvas earum & falsas species. Nam quod ἡ σοφιστική efficit in animo: hoc idem efficit in corpore ἡ κόμμωτική; & quantum incommodi adfert animo ἡ ἐγτομική: tantum etiam corpori ἡ ὀψοποιητική. Ita, ut quomodo ἡ σοφιστική ad κόμμωτικήν: ita se ētiam habet ἡ ἐγτομική ad ὀψοποιητικήν. (*)

Sed, missis his, me ad id conuerto, ob quod hanc, qualemque, scriptionem institui. Duo videlicet, ex auditoribus meis, vita Scholastica, cum laude, perfuncti, ad altiora adspirare, atque ad Academica excurrere stadia flagrant. Alter

Adamus Christophorus Eckardtus Tzschopauiensis
Misnicus,

non solum munditie vestitus cultusque corporis; sed & animo recto & ingenio ad colendas litteras apto atque sollerti; & gnaua in obe-
un-

(*) vocemus σοφιστικήν E, ἐγτομικήν F, κόμμωτικήν G, ὀψοποιητικήν H:
erit

$$E : G = F : H.$$

Ergo etiam est, id quod ipse Socrates monet, & ex praecedentibus consequitur:

$$\begin{aligned} G : C &= H : D; \quad \& \\ G : C &= E : A; \quad \& \\ H : D &= F : B. \end{aligned}$$

undis muniis suis opera sese nobis omnibus fecit commendabilem.
Alter

Godofredus Heerklotzius *Richstadiensis Misnicus,*
deliciae & voluptas praeceptorum suorum, se ita gessit, vt si omnes
in scholis discipuli similes forent ejus, jucundissima sane, in erudi-
endis juvenibus & ad optima quaevis formandis collocata, opera ma-
gistris caderet. Neque enim solum fuit impiger virtutum cultor;
sed & litterarum adeo studiosus, vt vernaculae aequae atque Latini-
nam orationem vorsam commode, & prorsam apte scribat. Vterque
documentum insumtae haud in cassum in litteras industriae suae, ora-
tiones Latinas habendo, edere gestiunt. Vnus dicet: *in quo sita sit*
infelicitas temporum; alter *solatia infelicitatis temporum* adferet. His
orationibus gratias, quas Deo, regi, patronis, scholae & ciuitati
debent, prior *Latino*, posterior *vernaculo carmine*, adtexent. Quos
tandem excipiet

Joannes Gottlob Wagnerus *Hennersdorffensis Mis-*
nicus,

qui, oratione Latina *belli commoda maximis incommodis admixta* profe-
cutus, carmine Latino pia vota, pro abeuntium incolumentate & salu-
te nuncupata, decantabit. Ut itaque Patroni & alii, Musis patroci-
nantes fauentesque, hunc actum, frequenti praesentia sua, celebrent,
est, quod etiam atque etiam oro. Scribebam in schola nouae vr-
bis ad Dresdam IV. Kalendas Junias.

cl. cc lviii.



QK IIc 470 x 3372189

D 20

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black	B.I.G.
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Dark Gray	Very Dark Gray
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Medium Gray	Medium Gray	Very Dark Gray
Medium Blue	Medium Cyan	Medium Green	Medium Yellow	Medium Red	Medium Magenta	White	Light Gray	Dark Gray	Very Dark Gray
Lightest Blue	Lightest Cyan	Lightest Green	Lightest Yellow	Lightest Red	Lightest Magenta	White	Very Light Gray	Very Dark Gray	Very Dark Gray

Inches
Centimetres

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

NUM
SIT GENUS ΚΟΑΚΕΙΑΣ
LATONIS GORGIA
DISQUIRIT
OS ET FAUTORES
AD
VALEDICTORIUM
IN
A SENATORIA
VRBIS AD DRESDAM
E TRICESIMO MAII
ECUNDA POMERIDIANA
HABENDUM
TISSIME ET OFFICIOSISSIME
INUITATURUS
F EHRENFRIED BECKERUS
RECTOR.

